



5394

26

1671

236

a

Q. D. B. V.

De

EO, QVOD INTER-
EST ABDICATIONIS
PRINCIPUM,


Exponet,
Publicè disputaturus,

PRÆSIDE

CONRADO SAMUELE
SCHURTZFLEISCH,

JOACHIM-ERNESTUS MERGO,
Boleslâ - Silesius,

Ad diem 6. Maji, A. C. MDC LXXI.
Horis antemerid.



WITTENBERGÆ,

Literis WENDIANIS Excudente DANIELE Schmas/
Academ. Typogr.

6



V I R O

*Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo & Con-
sultissimo*

DN. MARTINO BERNHARDI,

Sereniss. ac Celsiss. Ducis Siles. Lignic. Breg. & Wolav.
Consiliario Dignissimo, Secretario meritissimo,
Consistoriiq; Ducalis Ecclesiastici Sena-
tori gravissimo;

Nec non

V I R O

Maximè Reverendo, Amplissimo & Clarissimo

DN. LAURENTIO BAUDISIO,

Consistorii Ducalis Ecclesiastici Assessori Spectatis-
simo, itemq; ad Aedem Petro-Paulinam apud
Lignicenses Pastori vigilantissimo;

DOMINIS, PATRONIS & PROMOTORIBUS
suis colendisissimis;

Exercitationem hanc Academicam
cum devotâ animi subiectione

Offert & dedicat

RESPONDENS.



J. J.

I.

ARduum Principis munus, & grave iis, qui regunt: salutare contra his, qui reguntur. Sed ut alibi, ita hinc studia mortalium diversa. Sunt, qui suscipere recusent: sunt, qui susceptum nolint retinere. Illi defugiunt onus, quia imponendum. *Hi, quia senserunt, impositum fuisse.** Utrique aestimant curarum molem, atque adeo optant quietem.

*De Tiberio nil memoro. Simulabat nolle: revera volebat. Tac. A. 1. Quinimo recitandus hinc Helvius Pertinax est, cui ex eo nomen haesit, quod repugnaret S. C. quodque declinare imperium mallet, quam suscipere. Suscepit vero tandem, cessitque eligentium postulatis. A. Vict. in hoc Imp. Decius adeo renitebatur, ut strictis ensibus cum eo agerent milites, id est, cogere repugnantem. Pomp. Lat. R. H. Comp. in Philipp. Non secus de Juliano traditum. Recusanti imperium stricti enses intendebantur. Praeter Julianum memorandi Jovinianus, Valentinianus, Michael Curopalates, alii. Mechtildis singulare hinc exemplum. Prorsus invita regnavit, & cogentibus se imprecata diras est. Vid. Pasquierius les rechenches de France. De Carolo Crasso instauratore imperatorii decoris inter Ostrofrancos (ita appellat Urspergensis) refert Frisingensis, multis iisque repetitis obtestationibus tandem eò adductum, seu, ut ipse scribit, precibus pulsatum. A. 881. Eodemque spectat Henricus Auceps, primus ab excessu Carolingorum, Saxonum Francorumque Rex. De quo Aut. Compilat. Chron. A. 924. hac commemorat. Iste, inquit, dictus fuit Auceps, quia dum caperet aviculas, renitens electus est.

Conf.

Conf. Siffridus Presb. ad A. 924. Cæterùm hi recusarunt aliquantisper, cessuri, cum essent, qui acrius instarent. Hinc Aut. Mag. Chron. Belg. pag. 75. ait: Regiæ dignitatis culmen prius humiliter declinavit: at paulo post non ambitiosè suscepit. Observanda hîc in transcurso vox regiæ dignitatis. Imperatoriam enim non habuit, neq; habere voluit. Quin sprevit oblatam. Causam exponit Ursperg. A. 928. Add. Mart. Polon. Chr. A. cod. Recentius exemplum superioris ævi est Fridericus sapiens, gloria suæ gentis, Electorumq; Saxoniorum decus, qui nil imperii causa recusavit, saltem imperium suscipere abnuït, abnuendo etiam constans ac planè flectendi nescius fuit. Vid. Erasm. l. 13. ep. 4. Secutus ita exemplum Ottonis, Patris Henr. Aucupis, est, de quo ap. Witichind. Corbejenf. A. 1. p. 6. Cusp. in Conrad. & Sleid. lib. 3. de Monarch. De laude ejus extat apud Aut. rerum memorabil. Paralip. ad Ursperg. A. 1519. Unum subit mirari hîc, nescio magis propter invidiæ, an odii minimè laudandi exemplum. Auferre hanc gloriam Principi, & delere ex annalibus Funccianis Hispani nuper sunt conati. Sed deleant, expungant, expurgent. Prædicabit Germania Principè, & nunquã conticescet de veritate hujus facti. Laudandus hic Gabrielis Bucelini candor, qui dum alibi nostros præter meritum sugillat, jam victo veritate animo, laudat testimonium Erasmi Annal. p. 130. Argumento sunt Diocletianus & Maximianus Herculius. De utroq; Eutropius Brev. Hist. Rom. l. 9. & Idacius in Chron. quod primò à Scaligero, mox ab And. Schotto editum correctumq; est. De Carolo V. meminerunt Emm. Metteranus lib. 1. G. Ens Mauritiad. l. 1. Wilhelmus Godolevæus in narrat. de abd. Carol. V. Famianus Strada ignotum Principum aulæ prodigium vocat. Sed quomodo ignotum, quod multis Principibus cogitatum, nec paucis impletum est? At verò æquum est, hîc figuram æstimare & dicendi colorem.

II.

Nomen quod argumento accommodamus, tritum antiquis, & notione ABDICANDI expressum. Hinc prodita formula & veterum fastis inserta: ABD.

Aubertus

Aubertus Goltzius Thesaur. rei antiq. p. 182. Ritus, Cere-
monia non apud omnes eadem. Plato autor est, designari con-
suevisse per Praconem. Hujus formulas componunt veteres.
Sufficiat nominasse Quintilianum & Valerium Maximum.
Exemplo Manlius Torquatus est. Cum Silanum, inquit, filium
meum, pecunias à sociis accepisse mihi probatum sit, & Re-
publica eum & domo mea indignum judico, protinusq; è con-
spectu meo abire jubeo. Non minùs illustre patris abdicantis
exemplum, quod apud Ann. Senec. reperire est Controv. 1. Ex
recentioribus allego Barnab. Brissonium, acrimagnoq; judicio
Virum, & incomparabilem illum Andream Tiraquellum, opta-
tum quondam Theodoro Zwingero Ducem. Quadrat instituto
nomen, significatio multum est diversa.

III.

Ex his intelligas facile, cujusmodi sit Abdica-
tio, quæ spectat ad hanc curam. Alibi familiam
respicit & larem: hinc sceptrum, fasces, summam in
Republica dignitatem.

Expedit referre in praesens, rationem abdicandi non ali-
ter constare hinc, quam si sensus ejus pertineat ad universos. Nam
quæ singulos attinet, privati imperii finibus continetur. Magistri
sapientia hac incedunt via. Nominant patriam potestatem.
Hanc à jurisdictione in suos competente derivant. Causam ex
gravitate in aëstimatione morum sufficienti judicant. A qua me-
rito distinguunt eam, quæ mentione Imperii civilis, tanquam
contrarii sui, aut, si cum ipsis loquar, notione privantis defini-
tur. Documento Augustus est, qui cum reddere Purpuram Rem-
que publicam destinasset, abdicatio ejus, quam volumus, signi-
ficationis fuit. Svet. in Aug. cap. 28. Nec multum ablu-
dit Henrici vulgò II. exemplum. Qui ponere Imperium paratus, obse-
quitur tandem dissvadenti Richardo, Virdunensi Abbati, reti-
netq; adeò, quod dimittere deceverat. Vid. Vet. Chronica, &
ex iis Aut. M. Chron. Belg. A.C. 1014. Finge adeo regnare Flavium.
Decedat à fastigio regis. Deserat stationem, & acerbam civibus
vocem relinquat: ABDICABO. Roget, obtestetur populus,

ne abdicet: abdicet tamen; abdicet verè, abdicet plenè. Flecti nolit. Flecti non possit. Jam privatus erit, sed ultra meram privati conditionem. Veteris vestigia sanctitatis, & priorum memoria beneficiorum hoc exigunt, hoc jubent. Potestas sacrosancta adfuit. Honor etiamnum debetur.

IV.

Sed rem à capite arcessamus. Vetus abdicandi institutum est. Exempla identidem nova. Videamus de jure. De hinc causas, momenta, rationes expendamus.

V.

Tenetur Respubl. Principi, Princeps Reipubl. Illa ad obsequium, hic ad defensionem. Munus utrinq; sanctum, & nexus arctissimus. Major tamen civium cum Principe, quàm Principis cum civibus. Spectemus fontes. Occurret vinculum dispar. Abire Imperio, Principi integrum, &mero naturæ jure concessum.* Subditis in parte obsequii nil tale licitum est. Eximere se Imperio, exuere Principis jussa & foedare parendi legem nunquam possunt. Obediunt Principi propter DEUM: propter Conscientiam, quæ divini cujusdam celestisq; dictati in animos humanos demissi præsentissimum argumentum est.

* De ratione abdicandi merum jus naturale nil disponit, nil præcipit. Salkem concedit (parùm enim hic permittere est) facultatem abdicandi. Et verò concessio hæc prudentiâ dirigitur, velut Duce. Circumstantiis, ut sæpe diversæ emergunt, inflectitur non rarò. Causa sanè gravissima esse debet. Dignitas, fides Principis nec per latus peti. Amor quietis utilitati publicæ præferendus. Cujus quidem omne momentum in consociatione civili positum

positum est. Sed senium obtenditur atq; ætas ingravescens. At
verò abdicationi non sufficit. Quin meminerit Princeps, Princi-
pem stantem oportere mori. Privatos fortasse corpus, se Remp.
curare debere. Hæc dignitas, hoc munus Principis est. Hoc
adeo impleat, & vivat in exemplum suis, & præstet Reipublicæ
securitatem. Ut satis jam obvium sit, jus naturæ, quatenus à ra-
tione civili informatum, suadendi quoq; notione hîc exserere vim
suam, & suggerere illud: Imperabis. Hinc sequitur, ut facile ne ab-
dicet, abdicet, inquam, citra gravissimam causam, & inevitabilem
ad eò abdicandi necessitatem. Forte enim evenire usu posset, ut
abdicatione ad Reipublicæ perniciem spectaret: Saltem, ut incon-
stantiæ Principis præberet exemplum. Maximè si tunc à Re-
publica discedere vellet, cum Reipubl. maximè esset consulen-
dum. Cujus documentum rei nuper Imperator Moschorum
fuit. Hunc cessurum Imperio fama tulit. Jamq; tradere filio
purpuram atq; insulas destinabat. Sed mutatus ex lege Prudentiæ
animus, servatus Imperii honor est. Perinde quasi ex specula
prospexisset futuros motus. Scelus hodièq; noscitur in Stephano
Râsino, vel ut alii nobis scribunt, Rohäczino. Obscurissima
hominis initia, imagines, claritudo nulla. Hic inquit animo,
& occasione intentus, ultionisq; avidus seditionem Czari pericu-
losam, posteris non sine æterno auctoris probro memorandam,
concitavit. Dignus, cujus tam foedus exitus sit, quam foeda ini-
tia fuerunt. Auguramur illi (& augurari æquum est) eum tur-
bidarum rerum finem, quem habuit nuper Rouvrius Chapellius,
rebellis non ita pridem in Vivaretzii montanis. Supplicium
fuit, quale olim Merii Suffetii apud Romanos. Sed redeo ad ab-
dicationem. Agitabat eam superioribus annis Johannes Casimi-
rus. Obloquebantur Poloni & dissvadebant. Multi indignaban-
tur. Cæteri stopebant. Omnes ægrè ferebant. Tandem excu-
santi & multis obtestationibus nitenti ad sortem privati est con-
sensum. Sed id cognoscere est ex monumentis rerum publicè
gestarum. Cæteroquin dico: mero naturæ jure: ut innuam,
tantisper hujus æstimari vim, dum lege aut pacto non impedia-
tur hujus concessionis effectus. Esto Aurelius. Evehatur ad
Regnum electioni innixum. Dent, dicant Legem Ordines de
non

non abdicando. Annuat, assentiatur Princeps. Stabit pactis
conventis. Atqui hic se exserit regula juris naturæ, ejusq; non
suadentis, nedum concedentis solum, sed præcipientis, sed ju-
bentis, suum cuiq; tribuere. At verò id suum cuiusq; est, quod
quæsitum ex pacto est. Pactum ergò servari juris naturæ est. Cujus
non debet Princeps oblivisci. Tantum abest, ut agnoscere non
debeat. Quid si vero obliviscatur? Quid si non agnoscat? Mo-
nendus, obsecrandus est, ut æstimet, ut agnoscat. Quid si ne tunc
quidem velit? Nullum tribunal inter homines. Deo & foro in-
teriori relinquendus est. Addo hic eousq; præsumi pro libertate
abdicandi, donec contrarium ejus non ostenditur inductum,
idq; sive sanctione quadam regni, sive pacto. Hunc ad modum
Viosnievicio, Poloniæ Regi, adempta nuper potestas abdicandi
est. Edita pacti formula: Approbata à Rege, obligabit Regem,
donec concessurum fatis. Nempe hoc interesse sua, interesse
publicæ salutis, Ordines judicabant. Sed quid si interea Rex (id
verò detestamur) regnandi moli impar fieret, & virium expers,
ut olim Carolus Crassus? Aut regnum retinere vult, & relinquen-
dum est, contra quam accidit Carolo Crasso, & nuper in Lusitania
Alphonso, Johannis Bragantini filio: aut deponere gestit, & sunt,
qui indulgendum putent ex causa publici boni. Cum rationes
civiles agrè hîc admittant legem, quòd tanta rerum sæpe varietas
sit & vicissitudo, ut includi non possint & figi. Sit Licinius.
Administret regnum legibus patriis fundatum. Viribus postea
destituatur ad ardua Imperii necessariis. Senio, morbis conficiatur:
nec convalescere possit, nec mori. Statuat apud se, abdicaturum:
abdicet etiam. Num valebit Abdicatio? Vix remorabitur pactum de non abdicando. Ut quod adversetur naturæ hujus
actus, cui aut lex non dici, aut legis titulo nil addi fortasse potest.
Si quid addatur, æstimari potest quasi non additum, & ut formula
præfert, haberi pro non adjecto. Quod quidem nullam difficul-
tatem habet, si consentiant in abdicationem, qui impediendæ
ejus potestatem habent, sive ex pacto, sive ex alio titulo. Sin dis-
sentiant, in foro juris naturæ & consensus Gentiû standum pactis
conventis est. Innitendum legibus, acquiescendum institutis
Imperatorum. Nulla hic exceptio datur, nulla excusatio proficit,
nullum

nullum effugium patet, imo nec rima quidem. Servandum, quod promissum: asserenda veritas conventorum: tribuendum cuiq; , quod cuiusque est. Nisi tribuatur, iniustitiae argumentum est. Subtilitas de non adjecto non expedit interius vinculum, non solvit sanctiorem illum nexum. Est Princeps in Republica Deus: est Reipublicae Pater. Videat, ne quid destinet, nedum agat, quod cum alterutrius injuria sit conjunctum.

VI.

Quod mores Gentium spectat, nullum nefas, abdicare. Una omnium confessio, Principem non posse cogi. Si discedere à Regno velit, discedere impunè: * Sin retinere praoptet, exui non posse.

* Abdicare inter Gentes meri gentium arbitrii est. Qui formulas scholæ retinent, juris Gentium voluntarii inde exemplum sumunt, innuentes, juri Gentium necessario, quod appellant, hic nullum esse locum. Sed bene hi sentiunt. Minus accuratè loquuntur. Certum alioqui pendere abdicationem ex nutu Gentium universalium, singulas tamen, & quatenus societate civili discretas, inhibere legibus concessionem posse, eoq; nuper inhibuisse Rempublicam Poloniam. De cætero duplex hic via. Aut experimento discimus, aut ratione. Illo constat, abdicationem esse frequentissimi exempli. Ac id facile noscendum in veteri Imperio Romanorum. Tum nostrati Germano-Romano. Præterea in regnis sive cultis, sive barbaris. Eò referimus Hispaniam, Poloniam, Svediam. Addimus Italiam & multos Principatus. Exiit sacram purpuram, sive galerum suum Ferdinandus I. Medicus: Epistolam eo scriptam reddit G. Ens Ap. 55. Exiit Johannes Casimirus, & tandem exiit ipsum diadema Sarmatici regni. Abdicavit se Pontificatu Gregorius XII. Chron. Citizen. A. 1416. Bruno apud Huld. Mut. l. 16. Hucq; pertinet Japonia. Exemplum in Japonensium Dairis est. Taicosamma, in quo ut Dairorum finis, ita Imperatorum Japoniæ initium est, successit Dairo sponte se abdicanti. De cæteris maximè herilibus Imperiis eo

B

minùs

minùs ambigo, quod, cùm omnia possint, haud dubiè possint
abdicare. Documento erit Rex Gvineanus, qui in mera manci-
pia dominatur. Subditis nil ut suum, omnia Regis arbitrio
habentibus. Er. Francisc. in Flor. Gvin. Amer. p. 15. Quid jam,
quæso, est, quod impediatur regem, quò minùs regnum, si velit,
dimittat? Quanquam observo, rariùs in dominatu, quàm
Principatu abdicandi specimen esse. Causa ab intimis herilis
Imperii visceribus depromenda, & profundiori quodam arca-
no dominationis. Eadem in aliis regnis diversitas se offert.
Nec enim tam frequens abdicandi exemplum in regnis, quæ
ex successione deferuntur, quàm in iis, quæ electione. Nequè
protulit vero est, & minimè vacat exemplis, crebriùs cedere
Imperiis, qui mero electionis jure imperant, quàm qui succes-
sionem electioni immistam habent. Quod ad rationem per-
tinet adstruendæ abdicandi libertatis, minimè arduum est,
adstruere partim ex præsumta libertate, partim ex suprema
Principis potestate, quatenus à pacto aut lege immuni. Modò
justa adsit causâ, & cùm abdicanti honesta, tum Reipublicæ
nullum periculum allatura. Provisum id Sarmatis, non pas-
suris imposterum diffundi abdicantium exempla. Sive quòd
patientiam abdicandi tandem subire indignatio videretur,
sive quòd in perpetuo Regis Imperio spem ponerent conser-
vandæ tranquillitatis. Præsertim eo tempore, quo nihil quie-
tum à Cosacis, nil immotum à Turcis Tatarisque relinqui-
tur facile.

VII.

Cæteroquin ut regna & Principatus, sic ab-
dicatio variat. Nam aut Imperia respicit, quæ
successione constant, * aut quæ electione defe-
runtur. ** Utrorumque diversæ leges, nec idem
fundamentum. Illis Reges nascuntur, his æsti-
mantur, antequam Reges. In fastigium recepti
necessariò retinentur. Utrique in eo pares, quòd
possint.

possint abdicare. Disparis, quòd non eodem
ad posteros effectu.

* Regna, quæ successioni, eadem juri quæsito sunt in-
mixta, eoq; ita affecta, ut habeant successores, non requirant.
Aget cum effectu, qui pro se abdicabit. Qui pro posteris, nil
aget. Partum his jus nulla juris specie auferri potest. Ratio
hæc est exigenda ad exemplum, imo hoc ad rationem. Dabo
Albertum Thuringorum Principem. Is abdicare se jure, ce-
dere Thuringiæ Principatum Adolpho Casari, Fride-
ricum ac Theodoricum (aliis Titzmannum, Aut. Chron. Thu-
ring. Tyzemannum) excludere ac privare adeo successione
destinabat. Constitutum successionis jus extinguere non
poterat. Estimabat hoc sapientissimus Mylorum Princeps
Ditericus, Alberti frater. Vellem estimasset Adolphus, nec
bellum sibi exitiosum conflasset. Mansisset certè, qui fuerat,
& stetisset in fastigio Augustæ dignitatis. Vid. Paul. Lang. in
Chron. Citizen. ad A. 1294. & Chron. Landgrav. Thuring. cap.
7. 8. Tom. 7. Hist. Aug. in Adolpho. Aliud desideras? Fingam,
quod possit extare. Nisi extat tamen. Esto Austrasiæ Ducatus.
Abdicet Dux pro se. Ferri poterat. Sed abdicet pro Nepote, pro
Agnatis. Aliud dicam. Negabo, pernegabo, posse abdicare.
Explicabo causam. Hereditarius Ducatus est, eousq; ad poste-
ros & agnatos transiturus, donec posteri atque agnati erunt.
Ex vetustioribus repeto Lotharium Imperatorem. Carolin-
gus erat, expetebat religiosi Ordinis societatem, subeunte
animum tædio imperandi. Abdicabat se Imperio, spem suc-
cedendi non adimebat filio Ludovico. Vetabat id patris af-
fectus, maximè jus Carolingorum stirpi quæsitum. Nec hisce-
re debebant Carolenses, quibus ex divisione cesserat Francia
occidentalis, proprio Galliarum nomine insignita. Functo de-
mum Ludovico II. erigere se Carolus Calvus & decus suæ in-
ferre genti. Nullo jure. Renitentibus ipsis Romanis atq; agno-
scentibus, quibus Imperium debeatur. Brevis ævi honos, &
cum Autore suo collapsus, & ne quidem ad Filium ejus Ludo-
vicum Balbum delatus.

** De Regnis electione constantibus multo secius judi-
candum. Si tamen certum sit meræ electionis jure contineri.
Nam si successioni immista sint, eoq; aliquid ex jure heredi-
tatis trahant, multum abest, quò minùs una utrorumq; regula
constitatur. Exemplum inter exempla erit Bohemiæ Regnum.
Erant Privilegia Ordinum, erant indicia electionis. Erant verò
quoq; argumenta Successionis. Testantur id Regum superio-
rum tabulæ, testantur successionum pacta. Ponam verò hoc
Regni statu se abdicasse Regem. Abdicationis effectus non
potuit redundare in heredes. Multò minùs extendi ultra ab-
dicantem. Non fundi ultra, non porrigi latius. Quin stare
hic, & contineri iis finibus, quibus continebatur, qui abdicat.
Ut hinc intelligas, nefas fuisse, vel cogitasse de regno
Regi abrogando. Abdicare se Rex poterat. Invito, & hoc
abrogare est, auferre nemo, nec Ordines poterant. Neque
verò illa abdicatio detrimentum afferre heredibus potuisset.
Jus enim potiori parte hereditarium æterna lege ad posteros
transmittendum fuisset. Quod hodie eò minùs dubium,
quod veteri juri novus juris titulus, id est belli, accessit. His
rebus factum, ut desisteret ab ingenio antiquo, nec aliã,
quàm merè hereditariã lege censeretur. Sed hoc plus satis
ostensum. Videamus de Imperio Romano. Fixit hic sedem
æternitas rerum, fundavit hic Deus Augustum decus, vindica-
vit honorem nostræ genti. Divinum hoc corpus est, eoq; ex-
teris tacitè verendum. Libratum quidem sæpe variis casibus,
nuncquam tamen ita concussum, ut subverteretur: nedum ut
periret. Nempe habet augustæ dignitatis accessionem Ger-
mania: habebit, donec Germania erit. Atqui verò non leve
hic argumentum, investigare utrum Imperator possit abdicare:
tum, si abdicet, quousq; pateat abdicacionis ille effectus?
De priori illo ne dubitandum quidem. Licet id Imperatori
Imperatorum exemplo. Ex non Christianis jam recitavimus
plerosque supra. Inter Christianos quoque antecessores non
pauci. Ostrofranci allegabunt Lotharium I. Saxones Hen-
ricum II. destinata abdicacionis documentum. Jam sceptrum
purpuramq; positurus erat, cum Præsul, cujus apud eum magna
auctoritas

andoritas erat, dissvader institutum. Svevi Agnetem Imperatricem dicent, de qua est apud Ursperg Chron. ad A. 1074. Multi forte Henricum IV. Imperatorem ipsum, ut qui statu rerum suarum afflictissimo Imperium filio tradidisset. Huldricus Mutius Chron. l. 16. Sed eventus docuit, coactum magis, quam voluntarium hoc abdicandi opus fuisse. Nec moramur hic sive nugas, sive adulationes Monachi Nussiensis. M. Chr. Belg. A. 1106. Haud multum diversa Leonis I. inter Constantinopolitanos fortuna fuit. Martinus Polonus in Chron. A. 462. Huc referunt Hermannum, Imperii cum vita privata commutati argumentum. Ursperg. A. 1087. Addunt quoque Bertholdum ex Zaringia Duce Romanorum Regem: sed non multo post reversum ad res suas. Ursperg. p. 306. 307. Verum enim vero hic admonendum, neque Hermannum, nec Bertholdum referri posse in exemplum. Cum discesserunt à Regno, rebellare desierunt, propriè se non abdicarunt. Minimè hoc obitutum. Abdicatio renunciando juri, quod quis in Imperio habet, inventa inducitur; est. Sed quomodo se quis iure abdicabit, qui jus non habuit? Fac rebellasse aliquem Imperatori Mogolum: fac Principem Patavensem occupasse civitates Delli, Agrani, primarias regni, alteram quoque ejus sedem. Redeat non multo post ad sua, & Imperium fraudibus ac scelere partum ponat. Dicitur vulgò abdicare: propriè non abdicabit. Eà quidem abdicandi ratione, quæ in morum æstimatione versatur. Nil secius, neque repugnante me, de Taffilletta diceres, si conscientiam factorum desineret moliri dominationem, nec Africam sibi contra jus fasque destinaret, poneretque adeò Imperium inter vim ac rebellandi artes vix diu duraturum. Sed verò Sullam ante oculos est. Abdicavit se Dictatura: si abdicavit tamen, qui invasit. Simulacrum forte abdicacionis est. Veræ abdicacionis mensuram non implevit. Nisi forte evenerit, ut purgetur corruptela, & vitium, quod hæserat, tractu temporis amoveatur. Amoveri autem conventionibus potest. Et satis de exemplis. De ratione non attinet

laborare. Licet Imperatori abdicare. Et jam olim Carolo
V. licuit. Quod eousq; intelligitur valere, dum non obster
causa, quò minùs non liceat. Desumi verò hæc jam à Lege,
jam à pacto potest. Extant sanè Imperatoriæ Sanctiones.
Harum inspicienda vis, harum indagandus sensus, ex his
judicandum, quid liceat in hac causa Imperatori, quid non
liceat. Demus factam esse sanctionem (facta autem hæc
nus non est) demus insertum esse caput, de non concedenda
abdicationis libertate. Recipiatur, approbetur ab Augusto.
Cessabit facultas abdicandi, & impediatur pactis conventis.
Sed ejus nullum hæcenus in Germania exemplum. Si esset,
reperirentur, qui vellent suspicari, sic fortean muniri viam
ad successionem. At nollem his assentiri. Tanto minus vel
lem ita suspicari. Metus quoque ille sine metuendi causa est.
Servat sibi Polonia electionis libertatem. Non secùs, atque
Germania. Legem tamen de non abdicando proximè tulit.
Dicere simplicius mallet, non præsumere Electores, eum
velle abdicare, cujus salute omnium salus continetur. Quale
auspiciam, talem exitum sperant, spondent sibi. Fidem fide
fanciant firmantq;. Consilio consilium, etiam ubi necessitas
poscit, auxilium addunt. Quod si verò nihilominus contin
geret abdicare: reddenda abdicationis formula Electorib9
est, per Electores Ordinibus Imperii universis. Sed hæc nota
omnia, eoq; nec stylo indigent, neq; nostra cura. Saltem ex
pediamus, quod restat, quæsitum. Res suo, quod dicitur,
pondere ac pretio æstimanda. Tempus, temporis acta ex
pendenda. Sanè jam ab excessu Henrici IV. mutatus Imperii
status est. Nec eadem, quæ Ottonis tempore, facies durabat.
Ibi successio valuit, & valuit certè pro majori juris augusti
parte. Desit successio: successit electio successioni. Nempe
est quidam rerum orbis, est conversio sicut humanarum, ita
civilium rerum. Primum liberæ electionis initium in Hen
rico V. eaq; hodie in usu nostri ævi, & tot firmata Augusto
rum sacramentis, ac tot repetitis Imperii legibus fundata &
gentis quoq; nostræ ingenio maximè consentiens. Atqui
nunc facillè intelligas, quid dicto opus sit. Datur purpura
Impe-

Imperatori. Pro posteris non datur. Pro quibus non habet, pro
iis non potest abdicare. Nil enim habet, quod eorum ratione
sit concessum. Nil ergo abdicabit pro iis, pro quibus nil acce-
pit. Si quid accepit, ut certè accepit decus in orbe maximum,
pro se accepit. Ejus, qui accepit, personam non egreditur.
Nulli hæredes, ubi meræ juselectionis, ubi dantur successores,
non nascuntur.

VIII.

Ac summa quidem illa potestas, qua Principes se
abdicant, redditur DEO, & repetitur suæ stirpi. Si capit
successor, DEI beneficio capit. Neq; hujus origo à mor-
tali manu. Altius extenditur, eoq; nascitur in cælo, & in-
de deducitur in terras. Auspicium ultra mortales ha-
bet. Inter mortales solum exercetur. Nemo mortalium
hanc auferre potest, *quia nemo potest conferre.

*Recte quondam Mariæ Scotæ filius Jacobus VI. judicabat,
omnium DEI honestatisq; reverentiam exuisse, qui statuerent de capite
suæ matris. Recitat verba prudentissimus scriptor Gvilielmus Cambdenus,
Annal. rer. Angl. p. 466. Nempe causabatur, neq; id abhorrebat à vero, ini-
quistimum esse ferre sententiam de regina, ferre de legitima regni hærede,
privare insuper eam successione jure, & pro regnandi onere cruentam mer-
cedem pacisci. Multo disertius Carolus I. Angliæ Rex os oculosq; intuens
Præsidis in judicio capitali Bradshavli dixit, regiam potestatem DEI donum
esse, nec pendere ab Ordinibus regni, nedum eripi ab ipsis posse. Piget
referre, quid actum fuerit cum Edoardo II. Male habitus à suis, nec multo
post regno pulsus fuit. Johannes Latus ut sæpe aliàs, ita hic lepidum
narrat aliquid & certe fabulosum, dum sponte abdicasse refert Eduardum.
Autor Dissertationis de oppugnanda Anglia hinc arripuit causam insultandi
universæ nationi, & exprobrandi studium rerum novarum; Neque deesse
huic instituto voluit novissimus scriptor de belli eventu inter Brit. & Batav.
Sed id percensere alienum hic, neque idoneum argumento est. Satis est no-
bis tueri sanctitatem regii nominis, tueri originem divinam supremæ po-
testatis. Refert tamen annotari, Senatû Britonici regni Privilegiis cumu-
latisimum esse, & vindicare partem curarum regni, & belli unà pacisq; res
cum rege moderari. Hinc illæ superioris inferiorisq; regni confessus formulæ
Les Seigneurs ont assentes. Les Communs ont assentes. Claudicat sanè hîc
Claudius Salmasius, nec tempora distingvit recte, nec regni formã dijudicat
accurate, Afferit causam regis. Allegat, conquirat testimonia. Omnia
satis pie, modo satis exquisite. Est Anglia regnum, sed non patrimonii
jure, aut herili quadam ratione æstimandum. Conferunt cum Rege Ordines
& decidunt; judicant sanciantque. In arduis rebus omnibus consensum
inter-

interponunt suum. Placeat, an displiceat, in Concilio referunt ad regem.
Temperamentum ubique se exerit & nexus quidam arctissimus in rationi-
bus interioribus regendi. Sed ex his existimari non debet, datum esse Or-
dinibus Imperium in Reges, aut sciendi in eos potestatem. Si quid defen-
sionis causa possunt, sistant intra hos fines, vi abstineant, regemque vene-
rentur, ut Numen, & colant, ut Patrem. Atqui nolo hic excutere superio-
rum temporum acta, depromi illa ex Bateo abunde possunt. In eadem
causa noto Polonos ob Vladislaum Locticum, de quo vid. Neugeb. Hist. Pol.
1. 3. Ungaros item ob Carolum Parvum, quicquid molliat purgetq; Petrus
à Revva cent. 4. rer. Hung. Verum egressi limites instituti sumus. Jam paulo
arctioribus spatiis ambulandum est, idque intra metas nostræ gentis. Ex-
auctorati sæpe Imperatores & fastigio dejecti. Jure, an secus, ambiguum
etiam inter prudentes nostri ævi. Venit hic in mentem responsi Adolphii
Nassovii. Vid. eo efferre se insolentius Albertus, iratoq; vultu exceptum
vehementius alloqui ac tractare adeo præter moderationis legem. Quod
accepisti, inquit, Imperium, hic dimittis. Sed ferre ille iniquitatem facti
paratus, & respondere ingenue ad hunc modum: Esse id situm in DEI
manu. Aut Paralip. ad Ursperg. A. 1292. De Wenceslao recitat ex Emundo
Monachus Nussiensis in magno Chronico Belgico p. 328. neque vocatum,
neque convictum regno Germaniæ privatum fuisse. Formula diplomatis
extat apud Christianum Ursifium part. alt. è Chronico Kongelshoviano de-
sumpta. Paulo tamen aliter eam reddit ex Goldasto ille sub persona Francisci
Irenici script. part. 1. p. 113. censetq; insuper (si censet tamen, qui dubitat)
Wenceslaum forsitan non injuria depositum. Sed vero exempla hæc sunt,
eoq; non dant materiam juri. Utrumq; discerni oportet, priusquam decer-
natur in hac causa. Nobis æterna regula, solo ejus auspicio adimi posse
majestatem, cujus benignitate concessa ipsa fuit, nec modo tunc, quum uni
concessa soli atq; adeo exasse, sed etiam quum concessa pro parte est, eoque
ex semisse, & notione habendi divisim. Unum addo, quod pertinet ad de-
cestationem Pontificii exempli. Dedit hoc negotium Gregorius VII. Vir pro-
jectissimæ audaciæ, & stupendæ obstinationis. Is ut strueret ad dominatum
viam, diploma prorsus execrabile fecit, & saviit diris fulminibus in Henricum
IV. Verba bullæ, quam excors iste Pontifex vulgavit, plena malignitatis atq;
injuriarum. Huic tantummodo, inquit, communionem reddidi, non tamen
in regnum, ex quo eum in Romana Synodo depuleram, restitui. Vid. Ursp.
& H. Mutius ex eo in Chronic. l. 15. Quot literæ, tot scelerum notæ. Hanc
gratiam rependit Pontifex DOMINO suo BENEFICIARIO, Domino Romæ,
Domino Pontificum Romanorum. Vindicate hoc nefas, Cæsares, & instau-
rate jus antiquum. Patuit Italia Carolo V. Neq; Vobis interclusa est. Cesit
quædam Pontificibus Henricus V. Augustus vester Antecessor. Sed non in
præjudicium supremi vestri juris. Salvum id vobis etiamnum. Minimum
cliens beneficiariusq; vester Pontifex est. Cætera quæ intersunt Philosophiæ,
quæ versatur circa mores, repeti aliunde possunt. Multus in hoc argumento
est Johannes Henricus Boclerus. Nos de eo differemus alio loco, idque
separatim, & adeo cum cura.







ULB Halle

3


001 554 379




SB

1011







B.I.G.

Farbkarte #13

INTER-
TIONIS
M,

AMUELE
EISCH,

US MERGO,
MDC LXXI.

ANIELE Schmak/
gr.

1671

26

230
a

